

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Plvtarchi Chaeronensis Moralia, Qvae Vsvrpantvr

Svnt Avtem Omnis elegantis doctrinæ Penvs : Id est, varij libri: morales,  
historici, physici, mathematici, denique ad politioem litteraturam  
pertinentes & humanitatem : omnes de Graeca in Latinam linguam  
transscripti summo labore, cura, ac fide

**Plutarchus**

**Francoforti ad Mœn, M.D.LXXXII**

Septem sapientum convivium

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-289](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-289)

coeunt, molas vocant. quod vitij cauendum est ne in ani-  
 mis mulierum contrahatur: qui nisi semina honestæ do-  
 ctrinæ concipiant & insituantur virorum opera, ipsi ex se-  
 se opiniones absurdas, affectusque prauos multos gignunt.  
 Tu verò Eurydice in id maximè incumbere, vt sapietum præ-  
 stantiumque hominum scire dicta tibi reddas familiaria, 5  
 sempèrque in ore habeto vocès istas, quas virgo etiamnum  
 è nobis percepisti, vt & virum exhilarès, & apud alias mu-  
 lieres ob ornatum ita multiplicem, ita decentem in admi-  
 ratione sis, præfertim nulla partum impensa. Nam diuitis 10  
 alicuius mulieris vniones, aut alicuius peregrinæ sericas  
 vestes adipisci iisque te ornare non possis, nisi magna emas  
 pecunia. sed Theanus ornamenta, & Cleobulinæ, & Gor-  
 gus quæ Leonidæ fuit vxor, & Timocleæ quæ Theagenis  
 soror, & Claudæ illius priscæ, & Cornelie Scipionis soro- 15  
 ris, aliarumque illustri famæ mulierum gratis licet tibi su-  
 mere, iisque te condecorare, vitamque viuere gloriosam  
 atque felicem. Si enim Sappho ob carminum quæ pange-  
 bat elegantiã tam magnificè de se ipsa sensit, vt ad diuitem  
 quandam sic scribere non dubitauerit: 20

*Te simul lethum rapiet, iacebis,  
 Nec suo quisquam celebrabit ore:  
 Particeps non es quoniam rosarum  
 Pieriarum.*

cur non altiores tibi liceat ducere spiritus, quæ non rosa- 25  
 rum, sed fructuum compos facta sis, quos Musæ ferunt lar-  
 giunturque; iis, qui doctrinã & philosophiam magni faciunt.

PLVTARCHI SEPTEM SAPIEN-  
 tum Conuiuium. 30

DIOCLES.

**M**AGNAS nimirum tenebras, Nicarche, ingentem-  
 que obscuritatem rebus offundet temporis lógin- 35  
 quitas, quando iam nunc falsis sermonibus com-  
 positis de rebus, quarum recens adhuc memoria est, fides  
 adhibetur. Nam neque septem tantummodo illi, sicuti vo-  
 bis narratum fuit, conuiuio interfuerunt, sed numerus ho-  
 minum duplo istius maior, quorum vnus ipse quoque fui,  
 ob ar-



ob artis vsum familiaris Periandro, & Thaletis (qui iussu Periandri apud me diuerterat) hospes: & quicumq; fuit qui sermones conuiuarum retulit, (quem quidem satis apparet non fuisse in conuiuium presentem) malè rem is exposuit. Sed quoniam ocio abundamus, neque senectus idonea cauere sponione de differenda in aliud tempus narratione potest, ita vobis cupiètibus rem totam ab initio enarrabo. Conuiuium Periander apparauerat non in vrbe ipsa, sed in cœnaculo quod in Lechæo est iuxta templum Veneris, cui etiam sacrificabatur. Cùm enim ab eo tempore, quo ipsius *Periander Veneri sacrificat.* mater ob amorè vita sese subduxerat, Veneri rem sacram nunquam fecisset: tunc primùm quibusdam Melissæ adductus somniis eam sacrificio placare instituerat. Proinde vocatorum vnicuique bigæ præclarè exornatæ adducebantur. ætas enim tam erat, totamque vsque ad mare viam obcuruum hominumque multitudinem puluis tumultusq; occupabant. Cæterùm Thales bigas apud ostium cõspicatus, leni cum risu dimisit. Itaq; ambulauimus via per agros diuersa tranquillitatem consecrati, tertiusq; vnà nobiscum Neilo Xenus Naucratites, vir egregius, & cui in Ægypto cū Solone ac Thalete fuisset familiaritatis vsus. is tum denudò ad Biantem erat missus, neq; causas legationis suæ ipse norat, nisi quod in libello suspicabatur se ei alteram quæstionem sigillo munitam portare: mandatum enim erat, vt si Bias abnueret, sapientissimis Græcorum aperiret. Ac mihi quidem, aiebat Niloxenus, codicilli hi (simulque libellum nobis ostendebat) insperatum hoc lucrum opportunè obijciunt, vt hoc in loco vniuersos vos inueniam. deferto enim, vt vides, ad cœnam. Ibi tum Thales ridens, Si quid, inquit, mali est, Prienam referas. soluet enim Bias, sicut & priorem soluit ipse quæstionem. Quid, inquam, id erat quæstionis? Victimam, ait Thales, miserat ad eum Amasis Ægypti rex, iubens exemptam ex ea optimam ac pessimam carnem sibi mittere: at noster præclarè, linguam exsectam ad regè perferri curauit. quæ ei res magnam gloriam admirationemq; peperit. Non hoc duntaxat, inquit Niloxenus: sed & id, *Bias de lingua.* quod regum quoq; amicitias non refugit, quemadmodum tu facis. Nam cùm te quoq; ob alia quædam suspicit, tum verò mirum in modum ei arridet, quòd Pyramidis altitudinem absq; vilo labore aut instrumento dimensus es: sed sei *Pyramidis mensura.* pione



Vide Eu-  
cli. 6.4.

Tyrānus.

Quomodo  
ad conu-  
sū sit ac-  
cedendum.

pnone ad umbræ, quam iaciebat pyramis, sinem erecto, ac  
 tactu radioium duobus triangulis constitutis, demonstra-  
 uisti altitudinem pyramidis ad scipionis altitudinem ea ef-  
 se proportionem, quam umbra illius ad huius umbram habe-  
 ret. Sed, cuius rei mentionem feci, ob odium in reges malè  
 audis apud Amasin, sunt que ad eum relata tua quædã con-  
 tumeliosè in tyrannos dicta: qui interrogatus a Molpago-  
 ra lone quidquam uisisses insolens, Tyrannum responderis  
 senem rursus que alicubi de bestis orta disputatione, pron-  
 unciaueris pessimam ferarum esse tyrannum, de cicuri-  
 bus adulatorem. hæc enim reges tametsi nihil minùs uide-  
 ri quam tyranni uolunt, auribus nequaquam æquis audiunt.  
 Ad hæc Thales: Istuc quidem, ait, Pittaci est, ioco aliquan-  
 do ad Myrsilum dictum. Ego uerò non tyrannū, sed guber-  
 natorem nauis si uideam senem, pro miraculo sim habitu-  
 rus. quòd autem ab hoc ad illum transfertur hoc dictū, ego  
 id de mutatione hæc sentio, quod adolescens ille, qui cum  
 canem saxo petens nouercam ferisisset, ne sic quidem malè  
 cecidisse dixit. Itaque ergo & sapientissimum iudicauis esse  
 Solonem, qui oblatam tyrannidem recusauerit: & Pittacus  
 si solus dominari non fuisset aggressus, nunquam diciturus  
 erat, Difficile est esse probum. Ac Periæder mihi uidetur ty-  
 rannide tanquam paterno morbo circumuentus non malè  
 emergere sese, salutaribus adhuc utens consuetudinibus ac  
 colloquiis hominum prudentum, iis que obsequens: neque  
 admittens Thrasylubi ciuis mei consilium, qui eum ad op-  
 pressionem summorum hominum hortatur. Nihil enim dis-  
 criminis est inter colonum qui loco tritici & hordei locu-  
 stas comportare uelit & aues, atque tyrannum qui mæcipiis  
 quàm uiris malit præesse. Quippe multa mala dominationis  
 vnico hoc compètantur bono, honore uidelicet & glo-  
 ria, siquidem bonis aliquis tanquam melior, & magnis ut  
 maior imperet. qui autem securitatè decoro neglecto quæ-  
 runt, digni sunt qui non hominibus, sed ouibus equis bo-  
 búsque multis præsent. Verùm enim uerò hospes iste in ser-  
 uones nos coniecit nihil ad rem facientes, dum non curat  
 dicere atque inquirere de iis, quæ congruunt ad cenam eun-  
 tib. nisi fortè non putas sicut præbitoris, ita etiam inuita-  
 ti suum esse apparatus. Sybaritæ feruntur toto antè anno  
 mulieres inuitare soliti, ut eis liceret per ocium uersibus au-  
 rōque

5 quoque ornatis ad cœnam venire. Ego autem plus temporis  
 requirere puto probè cœnaturi legitimâ præparationem.  
 quia difficilius est mores decorè componere, quam corpo-  
 ris curiosum inuicemque ornatum conquirere. Qui enim  
 10 sapit, is nō se se tanquam vas implendum ad cœnam appor-  
 tans venit: sed ut serio iocòque aliquid acturus, auditurūsq;  
 & dicturus, prout occasio conuivarum quemque monebit,  
 si quidem velint suauiter vnà esse. Licet sanè obsonium vi-  
 15 tiorum auerfari, & si vinum nō probetur, ad nymphas con-  
 fugere. at coniuua qui caput obtundat, importunus atque  
 intractabilis, omnem cum vini & cibi, tum musica gratiam  
 corumpit atque perdit. conceptamque molestiam depo-  
 nere non est facile, cum nonnullis per omnem vitam inha-  
 20 reat mutua offensæ, velut erapula quidam sensus pridianæ,  
 ortæ ex contumelia inter pocula aut ira. Itaque Chilo re-  
 ctitissimè, qui cum heri vocaretur, non antè condixit, quam  
 eorum qui inuitarentur eòdem nomina singularim cogno-  
 uisset. dicebat enim quibus cum necesse esset vnà nauigare,  
 aut militare, eorum etiam molesto comitatu ac contuber-  
 25 nio vtendum esse. vltiò autem qualibuscunq; admiscere se  
 conuiuus, non esse sani hominis. Ægyptij in coniuua infer-  
 re solent sceletū, id est exsiccata hominis, atq; inter se com-  
 30 pacta ossa, hortarique conuiuas vt meminerint se non ita  
 multo post tales fore. is quancquam ingratus & intempesti-  
 uus comesator, tamen suum habet locum, non ad potum &  
 voluptates, sed ad mutuum amorem dilectionemq; cohor-  
 tans, monensque vitam breue tempus fortitam non debere  
 malis rebus longam reddi. Inter hos sermones ad cœnacu-  
 lum pertinemimus. Ibi Thales lauare recusauit, quòd vnctum  
 35 se esse diceret. obiens tamen cursus spacia, & palæstras spe-  
 ctauit, & lucum ad mare probè exornatum: non quòd eor-  
 um quæquam admiraretur, sed ne cõtempnere Periantrū,  
 eiusve despiciere videretur magnificentie studium. Cate-  
 ros, vt quisque vnctus locūse erat, famuli per porticum in  
 40 conclauē viris destinatum introducebant. Ea tum in portu-  
 cu Anacharis sedebat, & ante eum puella stabat caesariem  
 eius manibus pectens. Hanc Thales ad se perquam libera-  
 liter adcurrentem osculatus, atque ridens: Fac aut hospite-  
 tem nobis pulchrum, ne terribilis adspectu nobis, ferusque  
 videatur, cum sit mansuetissimus. Mihi autem querenti  
 quamam

*Sceletus  
 Ægyptio-  
 rum.*



*Eumetis  
sive Cleo-  
bulina.*

quænam hæc esset puella: Sapientem, inquit, & famosam non nosti Eumetidem? sic enim eam pater, vulgo de patris nomine Cleobulinam appellant. Tum Niloxenus: Nimirum, inquit, eam ob ænigmatum peritiam ac sapientiam laudas. nam & in Ægyptum quædam ab ea propositæ quæstiones peruenerunt. Non sanè, respondit Thales. his enim illa tanquam taxillis ubi ita res fert vitur, & cõcertat cum compellantibus. Sed & animi altitudo inest ei mirabilis, & ingenium ciuile atque humanum, ac facit vt pater ciuibus humanius popularitèrque imperet. Omnino, inquit Nilo- 10  
xenus, ita videtur. idque apparet intuenti tenuitatem in amictu eius atque simplicitatem. sed quid causæ est, quòd Anacharsis ita amanter curat? Quia, respõdit Thales, vir is est temperans, multarumq; rerum gnarus, rationemque victus & purgandi, qua in agrotis curandis Scythæ vtuntur, 15  
prolixè ei libentèrque tradidit. atq; adèd nunc etiam discere eam aliquid atque disputare puto, dum virum tractat istum atque mulcet. Cùm iam cœnaculo appropinquarem, occurrit nobis Alexidemus Milesius, Thrasymbuli tyranni filius spurus, inde perturbato animo egressus, iratusque se- 20  
cum quædam, quæ nos percipere nequiuimus, musicans. Is ubi Thaletem conspexit, paululum sese colligens, atque ad se reuersus: Atroci, inquit, iniuria nos Periæder affecti, non passus me soluere nauim, cùm quidem id cuperem, sed vt ad cœnam manerem exorans: & nunc venienti cœnatum se- 25  
dem adsignans indignissimam, Acolibus, & insularis, ac quibusuis tandem hominibus Thrasymbulo prælatis. satis enim euident est, despici ab eo patrem qui me misit, meamque in eum redundare contumeliam. Itane verò, ait Thales, meruis, ne quemadmodum Ægyptij stellas aiunt virib. 30  
pro loci in quem attolluntur, aut deuehuntur conditione augeri minuiue, ita tibi quoq; locus claritatem obscuritatemve adferat. & Lacone illo deterior es, qui cùm ei in choro quodâ vltimum locû præfectus adsignasset, Bene, inquit, abs te factum est, qui rationem huius quoq; loci cohonestandi repereris. non enim curandum est quò loco aut post quos colloce- 35  
mur: sed vt quib. adsidemus, cum iis bene nobis conueniat, statimq; in nobis ipsis principium ansamq; amicitia inesse ostendamus, dum non succensemus locanti, sed laudamus quod talibus nos adiunxit. Etenim qui  
loci

*Locus.*



loci causa irascitur, is magis ei iuxta quem positus est, qua  
 collocanti succenfer, & vtrique infensus sit. Verba haec sunt,  
 inquit Alexidemus, ac obseruaui vos quoque sapientes ho-  
 norem sectari. simulque praeteritis nobis discessit. Nobis  
 5 autem insolentiam hominis mirantibus, Thales: Ingenio  
 est, ait, stupido ac monstroso. qui etiamnum adolescentu-  
 lus, cum allatum Thrasylulo esset vnguentum preclarum,  
 id in magnam crateram infudit, meroque affuso ebibit,  
 inimicitia amoris loco perpetrata. Secundum haec famu-  
 10 lus accedens: Iubet, inquit, Periander te vna cum Thalete  
 venire visum quid rei sit quod modò est ad eum allatum, re-  
 merene sit natu, an monstrum sit atque prodigiū. ipse enim  
 valde videtur perturbatus, contaminari ac pollui eo sacrifi-  
 ciū censens. haec locutus, in domum quandam nos dedu-  
 15 xit, vnam ex his quae circa hortum erant. Ibi adolescens  
 quidam pastoralis, vt videbatur, imberbis adhuc, forma  
 non contemnenda alioqui, explicato scorteo sacco, *Monstro-*  
 monstrauit nobis infantem equae, vt aiebat, partu editum, *sua factus.*  
 supernè ad ceruices vsque & manus humana forma, reli-  
 20 quas partes equinas habentem, ceterum in morem homi-  
 num recens natorum vagientem. Ac Niloxenus quidem,  
 diu auerruncet vociferatus, oculos auertit. Thales autem  
 aliquandiu in adolescentem intuitus, deinde subridens, vt  
 solebat identidem de arte mecum iocari: Numnam (in-  
 25 quit) Diocles lustrationem aliquam molieris, negociumque  
 diis malorum profigatoribus facesses, re terribili scilicet  
 atque magna oblata? Quid ni, inquam ego? certe enim,  
 Thales, portenditur seditio ac dissidium, cum dea priore  
 in ipsum penetret matrimoniū ac posteros, cum dea priore  
 30 nondum expiata, alteram hanc, vt cernis, irae significatio-  
 nem edat. Ad haec nihil respondens Thales, sed ridens dis-  
 cessit. ac Periandro apud fores obuiam facto nobis, scitator-  
 que quid videretur de spectaculo isto, omisso me, manum  
 eius prendit, & Quae, inquit, Diocles mandabit, ea tu  
 35 per ocium perages. Ego autem tibi consulto, vt equarum pa-  
 storibus non utaris, aut eis des mulieres. Visus est mihi Pe-  
 riander his verbis auditis maiorem in modum delectari.  
 nam & risum tollebat, & Thaletem amplexus osculabatur.  
 Tum ille: existimo, inquit, o Diocles, iam euenisse quod  
 signo isto portendebatur. vides enim quantum damnum  
 t cepe-



ceperimus, Alexidemo nobiscum cenare nolente. Postquam intrò peruenimus, maiore iam voce Thales, Et ubi tandem, ait, homo ille indignè tulit se collocari? loquere demonstrato, ibi cum ipse accubuit, tum nos vnà accumbere iussit, inquit, vel pecunia fuisse se redempturum vt eadem cum Ardalo mensa posset vti. Erat autè Ardalus Trœzenius, tibicen ac sacerdos Ardalicum Musarum, quas priscus Ardalus Trœzenius dedicauerat. Ibi Æsopus, qui nuper à Crœso ad Periandrum, ac præterea Delphos ad oraculum missus, humili sella iuxta Solonem superne accumbentem adsidebat, Mulus, inquit, Lydus suam in flumine contemplatus imaginem, pulcritudinemque & magnitudinem corporis sui admiratus, ferocire & equi in morem percurrere intendit. mox autem recordatus aini se filium esse, inhibuit cursum, ferociamque & spiritus repressit. Ad hæc Chilo Laconica voce, Tu quoque, ait, tardus es, & muli cursum imitaris. Secundum hæc Melissa accessit, & iuxta Periandrum accubuit. Eum eis autem inter cœnandum sedit. Cæterum me Thales, qui supra Biantem accumbebam, ita cœpellauit. Cur non significasti, Diocles, Bianti, Nauerati tam hospitem iterum ad eum venire cum quæstionibus à rege propositis, vt sobrius & cautus eas percipiat. Ille verò, inquit Bias, iam pridem me istis adhortationibus terreat. Ego autem noui Bacchum cum aliàs validum esse, tum à sapientia cognomen tum Lysij (quasi Soluentem diceret) inuenisse. itaque non metuo ne plenus eius ad certamen minus animi sim habiturus. His illi inuicem verbis inter cœnandum ludebant. Mihi verò consideranti cœnam vsitata ratione non nihil frugaliorem, subit apud animum meum cogitare, sapientum & bonorum virorum conuiuia non augere impensas, sed minuere potius, dum superuacanei obsoniorum apparatus omittuntur, & vnguenta peregrina ac bellaria, vinorumque preciosorum diffusiones. quibus cum Periander quotidie vteretur, utpote in tyrannide, opibusque & rebus tantis, tum sese istis viris tenuitate & frugalitate commendabat. nam non aliarum duntaxat rerum, sed vxoris quoque demens atque occultans consuetum mundum, frugaliter eam & modice ornatam ostendebat. Sublatis mensis, fertisque à Melissa distributis, nos quidem libauimus: & tibicina, cum paululum ad vota nostra cecinisset, è medio

*Mulifabula.*

*Vini Vis.*

*Frugalitas doctorum.*



medio abiit. Tunc Ardalus Anacharsin allocutus, interro-  
 gavit an apud Scythas tibicinæ essent. qui ex tempore re-  
 spondit, Ne vites quidem apud Scythas esse. Rursumq; Ar-  
 dalo dicente, Atqui dii sunt Scythis: omnino, inquit Ana-  
 5 charsis, ii que intelligentes humanæ linguæ. neque Scythæ  
 putant, quod Græci: qui quanquam Scythis eloquio præ-  
 stare se censent, tamē deos ossium & lignorum sonos quàm  
 humanam vocem libentius audire opinantur. Quid, intulit  
 Æolopus, si videres ô hospes, nostri temporis fistularum  
 10 fabros, qui ossa hinnuleorum abiiciunt, & asininis vtun-  
 tur, melius sonare hæc dicentes. qua de causa etiam Cleo-  
 bulum tibia hinnulea ad fistulam Phrygiam inpulit mirari  
 aurem cornigeram ictus gratia. vt mirari subeat, asinum a-  
 15 tenuissimum & maxime canora suppeditare. Hic Niloxenus,  
 nimirum, inquit, hoc est quod nobis Naucratidis Busriræ  
 vitio vertit, qui asininis iam vtimur tibiis, cùm ipsi etiam  
 tubam audire nefas habeatur, quia eius sonus asininæ vo-  
 ci est similis. nostis autem asinum apud Aegyptios propter  
 20 Typhonem in infamia esse. Facto deinde silentio, Periæder  
 censens Niloxenum cupere quidem, sed tamen non aude-  
 re sermonis facere principium, Ego verò, ait, ciuitates mag-  
 istratusque laudo, qui priore loco hospitibus, deinde ciui-  
 bus responsa dant. itaque placet, vt in præsentia nostri ser-  
 25 mones, quippe indigenæ & familiares, aliquantulum ces-  
 sent, & quasi in concionem aditus permittatur Aegyptiis  
 istis ac regis quæstionibus, quas optimus hic Niloxenus  
 ad Biantem adfert, Bias autem vult vnâ nobiscum excute-  
 re. Et Bias: vbi enim, aut quibus cum malit quisquam de his  
 30 experiri, si ita vsus ferat, quæstionibus soluendis: præsertim  
 cùm rex mandauerit, vt à me principium fiat disputatio-  
 nis, & ea ordine per vos omnes circumbeat. Ad hæc verba  
 codicillos Bianti porrexit Niloxenus, iussitq; apertos co-  
 ram omnibus legere. eorum quæ continebantur scripta,  
 35 hæc erat sententia. Amasis rex Aegyptiorum, Bianti Græco-  
 rum sapientissimo S. Certat mecū Æthiopum rex de sapien-  
 tiæ præstantia: victusq; aliis in rebus, vltimo loco absurdam  
 à me & immanem rem postulat, mare me iubens ebibere:  
 idque ea conditione, vt si præstem, multi eius pagi multæ-  
 que vrbes meæ fiant ditioris: sin verò, oppida quæ circa

De fistulis  
& ossibus.

Asinum.

De mari  
ebibendo.



Elephantinam sunt amittam. Tu quo pacto id fieri possit dispice, & statim nos remisso huc Niloxeno doce. Si quid à me ciues amicique tui desiderabunt, non deero iis. Vale. His recitatis, non multum temporis cunctatus Bias, sed paululum secum meditatus, & pauca cum Cleobulo, qui sponde accumbebat, collocutus, Quid narras, inquit, Niloxene? tot hominum rex Amasis, tantumq; ditionis præstantissimæ possidens, ebibere mare volet obscurorum & villi pagorum gratia? Tu verò, inquit Naucratis, tuo arbitrio pendere quid fieri possit. Indicet ergo, ait Bias, Æthiopum regi, debere eum interim dum ipse mare quod nunc est ebibit, in mare exeuntes fluuios inhibere. nam de eo quod nunc est mari, non de futuro mandatum fuit. Quæ simulatq; dixit, Niloxenus præ voluptate non continuit se, quin amplecteretur atque oscularetur hominem. Reliquis autem responsum Biantis laudantibus atq; approbântibus, ridens Chilo: Hospes, inquit, Naucratis, antequam mare ebibatur domum nauigans Amasidi indica, nõ esse ei quærendum quomodo tantum saluginis exhauriat, sed potius vt potabile ac dulce subditis regnum suum faciat. harum rerum callentissimus, optimusq; magister est Bias, quibus perceptis Amasis nihil opus habebit aurea ad lauandos pedes pelui qua terreat Ægyptios, sed omnes ipsum demerebuntur atque diligent ob virtutem, etiam si millies esset quàm nunc videtur inuisor. Est verò, inquit Periander, o peræprecium vt vniuersi vitium (vt Homericò more loquar) Amasidi tales contribuamus primitias. Sic enim & illi additamentum ipsa negociatione præstabilius fiet, & nobis singulis aliquid utilitatis accedet. Tum Chilo, Principium, inquit, dicendi Solon æquum est vt faciat, non tantum quia natu omnibus reliquis est grandior, & primo accumbit loco, sed maximum ac perfectissimum quia gerit magistratum, Atheniensium legislator. Ibi tum Niloxenus submissa ad me voce: Profectò, inquit, multa falso creduntur, multique suat qui sinistris rumoribus de sapientibus viris delectantur, quos vel ipsi sibi confingunt, vel ab aliis promptè accipiunt. quomodo etiam ad nos in Ægyptum renunciatum fuit, Chilonem amicitiaæ atque hospitij ius resignasse Soloni, quod hic leges mutabiles esse dixisset. Ridicula, inquam, narratio. ita enim primus Chiloni erat repu-

*Odyss. v.  
initio.*



repudiandus Lycurgus, qui vnâ cum legibus totam con-  
 uellit atque immutauit rempub. Lacedæmoniorum. Cæ-  
 5 terum Solon paululum moratus, Miki, ait, videtur hac ra-  
 10 tionè maxime gloriam cōsecuturus siue rex siue tyrannus,  
 si vnus imperium in popularem reip. statum ciuibus con-  
 uertat. Subiecit Bias: si primus pareat legibus patriæ. Post  
 hos Thales pronunciauit, eum sibi principem videri bea-  
 tum, qui naturæ ordine senex moriatur. Quartus Anachar-  
 15 sis: si solus sit prudens. Quintus Cleobulus: si familiarium  
 20 nemini fidat. Sextus Pittacus: si subditos princeps ita con-  
 docefaciat, vt non ipsum, sed ipsius causa metuant. Vltimus  
 Chilo: principem nihil meditari debere mortale, sed omnia  
 immortalia. His dictis à Periandro postulauimus, vt ipse  
 quoque diceret aliquid. Ille verò vultu non admodum hi-  
 25 lari, sed ad seueritatem composito: addo ergo, inquit, di-  
 ctas sententias omnes fere sanę mentis hominem ab impe-  
 rio gerendo deterrere. Et Æsopus, vt erat reprehendendi  
 studiosus: Hæc igitur, ait, oportebat nos seorsim tractare,  
 ne dum consiliarij volumus esse & amici principum, eorum  
 30 fiamus accusatores. Huius caput tangens Solon ac reni-  
 dens, Non, inquit, videtur tibi moderatiorem principem  
 ac tyrannum æquiorẽ reddere, qui ei persuadet præstare  
 non imperare quàm imperare? Quis verò, respondit Æso-  
 pus, tibi malit credere, quàm Deo? cuius sententia ex hoc  
 35 tibi dato oraculo apparet,

*Felix vrbis, vocem præconis quæ vniuersi audit.*

Et Solon; enimuerò, inquit, nunc quoque Athenienses v-  
 nicum audiunt præconem, nimirum legem, quamquam  
 penes populum reipub. sit potestas. Tu autem coruorum  
 30 graculorumq; voces audire peritus, tuam ipsius vocem non  
 accurate exaudis: sed qui vrbem de Apollinis sententia bea-  
 tissimam fore putes quæ vnũ audit, cõiuij hanc laudem  
 esse censet, vt omnes differant ac de omnibus. Tu enim, in-  
 fert Æsopus, nullam legem posuisti, ne inebrientur serui,  
 35 sicut Athenis seruis amoribus & sicca vnctione interdixisti.  
 Cum risisset Solon, Cleodemus medicus: atqui sicca vn-  
 ctioni, inquit, simile est, vino rigatum loqui. est enim sua-  
 uissimum. & Chilo id sic excepit: itaque eo tanto magis ab-  
 stinendum est. Rursum Æsopus, Et quidem, ait, Thales vi-  
 sus est dicere, fore vt celerrime confenescat. Hic ridens Pe-  
 40 riander,



*Varia qua  
siones.*

riander, sic est locutus. Meritò quidem nos, *Æsopè*, pœnam dedimus, qui prius quàm *Amasis* sermonem reliquum in medium proponeremus, in alias incidimus disputationes. Tu itaque *Niloxene* reliquum *Epistolæ* inspice, virtusque his præsentibus vtere. Tum *Niloxenus* hæc. Equidem postulat illud *Ethiopicum* nihil aliud quam, vt est apud *Archilochum*, scuticam contractam appellare quis iure possit. Tuus autem hospes *Amasis* in hoc quærendi genere humanior est & elegantior. Iussit enim eum explicare quid sit vetustissimum, quid pulcherrimum, quid maximum, quid sapientissimum, quid communissimum, atque adeo quid utilissimum, quid damnosissimum, quid fortissimum, quid facilissimum. Quid, inquit *Periander*, responditne, & soluit singula isthæc: Audietis, ait *Niloxenus*, quomodo, & vestrū erit iudicium. Summam enim in hoc rex noster impendit operam, vt neq; calumniari responsa possit dici vere, neque lateat & non arguatur si quid erratum est respondendo. Recitabo autem vobis quo modo respondit. Quid antiquissimum? Tempus. Quid maximum? Mundus. Quid sapientissimum? Veritas. Quid pulcherrimum? Lux. Quid communissimum? Mors. Quid utilissimum? Deus. Quid damnosissimum? Genius. Quid robustissimum? Fortuna. Quid facilissimum? Quod suaue est. His ita recitatis, *Nicarche*, factoque silentio, *Thales Niloxenum* interrogauit, an has solutiones probasset *Amasis*. Respondenteque eo, quasdam admittas ab eo fuisse, quasdam improbatas, Et verò, inquit *Thales*, examinandæ sunt: omnes enim vitia magna erroresque habent. quale est, (verbi gratia) quod tempus omnium rerum vetustissimum dixit. quod qui potest esse verum? cum pars eius præterierit, alia sit præsens, alia futura: & quod post nos erit tempus, rebus hominibusque qui nunc sunt recentius esse quiuis videat. Iam quod veritatem putat esse sapientiam, tantundem mihi videtur ac si lumen oculum vocaret. Quod si lumen, ita vt est, pulcrum esse censuit, quomodo factum est vt ipsum Solem præterierit. De cætero quod respondit de diis ac geniis, id audax atque periculosum est responsum: valde etiam à ratione alienum est, quod de fortuna dixit: non enim ea tam facile mutaretur, si ita validissima rerum esset atque robustissima. Sed neque mors communissimum est, quæ nihil ad viuos pertinet.



nec. Cæterum ne videamur in aliorum pronuntiata in-  
 quere, nostra cum eorum dictis componantur. & si Niloxeno  
 ita videtur, primum ego me offero qui de singulis interro-  
 getur. Exponam deinceps quæsitum: quid respon-  
 sum fuerit. Quid est antiquissimum? Deus, inquit Tha-  
 les. ortu enim caret. Quid maximum? Locus. reliqua enim  
 mundus continet, ab hoc continetur. Quid pulcherrimum?  
 Mundus. omnes enim eius partes ordine aptæ sunt. Quid  
 sapientissimum? Tempus. id enim alia inuenit, reliqua  
 10 inueniet. Quid communissimum? Spes. quibus enim re-  
 liqua omnia defunt, hæc adest. Quid vtilissimum? Vir-  
 tus. hæc enim reliqua etiam recte vtendo vtilia facit. Quid  
 damnosissimum? animi vitium. huius enim præsentia plu-  
 rima bona corrumpuntur. Quid validissimum? Necessi-  
 15 tas. ea enim sola est insuperabilis. Quid facilimum? Quod  
 est naturæ consentaneum. nam voluptates etiam sunt,  
 quæ sæpenumero respuantur. Cum Thaletis dicta omnes  
 approbassent: Cleodemus, Huiusmodi, inquit, Niloxene,  
 quæstiones proponere & soluere regibus conuenit. barba-  
 20 rum autem iste, qui mare Amasidi propinabat, breuitate ser-  
 monis refellendus fuit ea, qua vsus est aduersus Alyatten  
 Lesbii scripto superbe aliquid insolens mandantem Pitta-  
 cus. nihil enim respondit aliud quam debere eum cepas &  
 calidum panem edere. Hunc eius sermonem sic excepit Pe-  
 25 riander. Enimuerò præcis quoq; Græcis in more positum  
 fuit, Cleodeme, huiusmodi inter se quæstiones proponere.  
 auditu enim accepimus, Chalcidem ad Amphidamantis  
 exequias conuenisse poetas, quorum tum inter sapientes  
 maxime vigeat gloria. Fuerat autem is Anaphidamas vir  
 30 ciuilis, cumque multum negocij exhibuisset Eretriensi-  
 bus, in pugnis ob Lilantem commissis ceciderat. Sed cum  
 poetarum carmina arte elaborata difficilem molestam-  
 que facerent diiudicationem, ambigua victoria, & con-  
 certatores gloriosi Homerus atque Hesiodus præ sui re-  
 35 uerentia plurimum arbitris dubitationis afferrent: ven-  
 tum est ad huiusmodi quæstiones, proposueruntq; , inquit  
 Lesches, talia:

*Musa mihi refer hac, quæ nec prius euenerunt,  
 Nec post euenient.-----* & respondit Hesiodus ex  
 tempore:

*Alia selectio-  
 nes earum.*

*Quæstio-  
 nes argu-  
 tas mos im-  
 ter se pro-  
 ponenda  
 vnde?*



*Sed Iouis ad bustum sonitu chm quadrupedante  
Frangentur currus ab equis certi amine anhelo:*

diciturq; ea maxime de causa magni factus ac tripode donatus. Quid verò, inquit Cleodemus, hæc à scirpis Eumetidis differunt, quos illam animi iociq; causa nectentem, v's aliæ cingula solent & reticula, mulieribus proponere fortassis indecorum non est: ridiculum verò, si eos vt rem seriã tractent viri cordati. Ac Eumetis quidẽ, cum, vt apparebat, dicere aliquid aduersus Cleodemum cuperet, præ verecundia sese cohibuit, faciesq; eius tota rubore oppleta fuit. Sed <sup>10</sup> Æsopus, veluti vlciscens eam: An verò ait, non magis ridiculum est, non posse nos ista soluere? quale est quod paulò ante cœnam nobis proposuit:

*Lastopff.*

*Ignis hominem as humano in corpore figere Sidi.*  
potestne explicare, hoc quid sit? Ne scire quidem opus habeo, respondit Cleodemus. Et verò, inquit ille, nemo te melius istam rem nouit aut vsurpat. quod si inficias ire velis, testes habeo cucurbitulas. Risit Cleodemus: nemo enim medicorum ea tempestate frequentius cucurbitulis vrebatur, idque remedij propter vsum non parum laudis inuenerat. Cæterùm Mnesiphilus Atheniensis socius imitatorque Solonis Periandrum sub hæc ita compellauit. Equidem æquum iudico, vt sicut vinum, ita sermo quoq; non pro censu aut præstãtia virtutis, sed ex æquo inter omnes distribuatur, sicut in populari statu reipublicæ. At quæ iam à vobis <sup>25</sup> dicta sunt de dominatione, & regno, ad nos, qui populares sumus, nihil pertinent. Itaq; cenfeo debere vos denuo ea de reipu. forma, in qua æquali omnes iure viuunt, viritum aliquid conferre, auspicante iterum Solone. Placuit hæc sententia omnibus. Primusq; Solon: tu quidem, inquit, Mnesiphile audiisti cum vniuersis Atheniensibus, quis meus sit de repub. sensus. Quando aut nunc quoq; vis audire, videretur mihi ciuitas maxime beata fore & cõseruatura popularem statũ, in qua iniuriæ alicuius autorem non minus illegis <sup>30</sup> quàm qui læsus est in ius rapiant atque puniant. Secundus <sup>35</sup> Bias dixit, eum popularem reip. statum esse optimũ, in quo legem vniuersi tanquam tyrannũ metuant. Thales: vbi neque diuites nimis neq; pauperes sint ciues. Anacharsis: in qua eũ reliqua omnia æqualia habeantur, virtuti tamẽ potior, vitio deterior conditio deferatur. Quintus Cleobulus

*De popula  
ri respub.  
statu.*



lus pronunciauit populū maxime facturū officium, si  
 ciues reprehensionem magis metuant quam legem. Sextus  
 Pittacus: vbi magistratum gerere non licet malis, licet bo-  
 nis. Conuersus deinde Chilo: ea, inquit, optima est res publi-  
 ca, in qua maxime leges, minime oratores audiuntur. Rur-  
 sum vltimus omnium Periander de dictis horum ita censuit,  
 videri sibi omnibus his pronunciatiseam commendari po-  
 pularem reip. formam quæ similima sit optimarum in ciui-  
 tate gubernationi. Hac quoq; disputatione finita, postula-  
 10 uie ego, vt domus quomodo regenda sit nobis illi explica-  
 rent: quod regni & ciuitatis gubernatio paucis obueneret,  
 quiuis aut nostrum larē domesticum familiamq; haberet.  
 Hic ridens Aesopus: Non ita, inquit, res habet: siquidem in  
 quibusuis illis Anacharsidem numeras. qui non modo non  
 15 habet domum, sed & iactat se hoc nomine, quod domo ca-  
 rens, curru vtatur, quo modo Solem aiunt curru circumve-  
 hi, aliaq; aliam cœli obire regionem. Respondit Anachar-  
 sis: Itaque ergo aut solus deorum liber, aut omnium liber-  
 rimus ille est, omnibusque imperat, nulli paret, sed regnat  
 20 ac habenas tenet. Verum Solis currus quam pulcritudine  
 excellens, magnitudineque mirabilis sit, te fefellit. alioqui  
 non eras eum cum nostro ioci gratia comparaturus. Vide-  
 ris autem mihi, Aesope, pro domo habere lutea & siglina i-  
 sta claustra, perinde ac si testam, non ipsum animal cochleæ  
 25 nomine afficeret. itaque non iniuria risum tibi mouit So-  
 lon, qui cum domum Cræsi sumtuose ornatam vidisset, nō  
 statim pronunciauit dominum eius beate ac feliciter habi-  
 tare: quod bona in ipso domino sita potius, quam quæ cir-  
 ca ipsum erant, spectare cuperet. Atque apparet te tuæ obli-  
 30 tum vulpis, quæ cum in certamen de varietate ornatus cum  
 panthera venisset, ea quæ intus sibi essent ornamenta disce-  
 pratore in inspicere iubebat: his enim se magis varie, quam  
 panthera esset, ornatam. Tu vero fabricarum & lapidarum  
 opera circumspicis, eaque pro domo habes: non ea quæ in-  
 35 tus quisque sua habet, liberos, coniugium, amicos, famili-  
 am: cum quibus probe compositis si quis vel in fouea for-  
 micaria vel in nido aliquo degit, rerumq; communitate vt-  
 titur, domum is bonam & beatam incolit. Hæc ego cum  
 Aesopo responsa volo, tum pro mea stipe Diocli collata, re-  
 liqui pro se suam quisque sententiam pronunciant. Tum



*Familia  
qua opti-  
ma.*

Solon: Ea, inquit, mihi optima videtur domus, ubi res esse neque iniuste parta, neque in ea vel conseruanda diffidentia, vel insumentia poenitentia est locus. Bias: In qua dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges. Thales: in qua plurimum ocij domino conceditur. Cleobulus: in qua plures sunt qui diligant, quam qui metuant dominum. Pittacus: ubi neque requiruntur superuacanea, neque desiderantur necessaria. Chilon: maxime oportet domum ubi qua sub rege est similem esse, adiecitq; Lycurgum curdam qui populare imperium Sparta institueret ipsum iuberet, respondisse, Prius tu hoc domum tuam facito. Hoc quoque sermone exaeto, Eumetis cum Melissa exiuit. Cum autem Periander Chiloni bene magnum calicem praebisset, ac Chilo Bianti: Ardalus adfurgens Aesopo ait: Tu vero non huc ad nos poculum transmittes, cum videas istos calicem tanquam Bathyclis poculum inter sese circummittere, nemini alteri impertire? Et Aesopus: ne hoc quidem, inquit, publicum esse videtur poculum, ita iam diu soli adstat Soloni. Tum Mnesiphilum compellans Pittacus: Cur, ait, Solon non bibit, sed versus suos testimonio suo impugnat hosce,

*Ebrietas.*

*Nunc Veneris mihi grata, Et lati munera Bacchi,  
Musarumque Viris dant ea leticiam.*

Subiecit autem Anacharsis: quia tuam illam duram times legem, qua si quis per ebrietatem delinquat, duplam eius, qua sobrio infligeretur, poenam constituisti. Tu vero, inquit Pittacus, ita contumeliosè in legem meam peccasti, ut & superiore anno, & nunc ebrius, praemium poposceris atq; coronam. Quid ni, ait Anacharsis, proposito ei qui plus bibisset praemio, primus inebriatus praemium victoriae posceret? aut vos me docete quis alius sit multum bibendi merum finis, quam inebriari? Cum risisset ad haec Pittacus, Aesopus talem narrauit fabulam. Lupus cum videret pastores in tabernaculo ouem comedere, propius accedens, Quantus, inquit, tumultus exortus esset, si hoc ego fecissem? Tu Chilo, Recte, ait, Aesopus sese vltus est, cui paulo ante cum os obthurauerimus, nunc videt a nobis Mnesiphilo preteri faculratem respondendi, interrogato cur Solon non biberet. ibi Mnesiphilus hanc rationem attulit. Scio, inquit, Solonis hanc esse sententiam, vniuscuiusvis artis seu facultatis tam diu-

*Finis reru.*



diuinæ quam humanæ opus esse id potius quod ab ea efficitur, quam quo id confit: & finem, quam quæ ad finem pertinent. Nimirum enim textor suum opus magis dixerit lannam aut tunicam, quam radiorum dispositionem, & insulorum excitationem. ac faber ferruminationem potius, aut securis aciem solidam, quam aliquid eorum quæ eius gratia necessario fiunt, vt carbonum succensio, & apparatus ramenti lapidum. sed & architectus multo magis nos reprehendat, si opus eius affirmemus esse non nauim aut domum, sed ligna terebrare, & lutum miscere. Musæ autem omnino indignetur, si putemus ipsarum opus esse citharam & fistulam, non morum institutionem, & affectuum animi moderationem, quæ consequuntur qui cantilenis & concentibus vtuntur. Ergo Veneris etiam opus non est concubitus & corporum mixtio, neque vinum & ebrietas Bacchi. sed qui his conciliatur amor, & desiderium, ac mutua consuetudo & familiaritas. Hæc diuina opera Solon vocat, eaque se ait diligere & consecrari maxime in senectute. Est autem amoris virorum ac mulierum mutui esse & ritus Venus, ob voluptatem corporibus simul commiscens ac colliques faciens animos. Multi porro non admodum inter se noti aut familiares à Baccho vini veluti ignis opera cuiusdam ingenii emollitis atq; humectatis principium aliquid contemperationis inter se amicitiaque nanciscuntur. Cæterum vbi tales conueniunt viri, quales vos Periander conuocauit, nihil (puto) est quod calix aut poculum agat: sed ipsæ Musæ proposito in medium sermone, tanquam sobrietatis cratera, cui plurimum voluptatis, ioci, seriæque rei itè permultum adest, eo excitant, rigantque & diffundunt amicitiam: plerunq; sinentes cyathum super cratera quiescere, quod Hesiodus, prohibuit fieri apud eos qui bibere potius quam disserere norunt.

*Nanque & vbi se vino criniti forsan Achini*

*Largius inuitant: plenus scyphus est tibi semper.*

*Iliad. d.*

Alioqui teneo, apud antiquos moris fuisse vt propinarent inuicem, certaq; vt apud Homerum est, mensura biberent per ordinem, quomodo Ajax partes carnis ei qui iuxta adhibebat obtulit. Hæc cū dixisset Menestrophilus, Chersias poeta (iam enim crimine eum Periander absoluerat, inq; gratiam Chilone deprecante receperat) Nonne, inquit, Dijs Iupiter,

*261.*

*Modus bibendi.*



*Cdysf. 12.  
61.*

*Modus res  
familiaris*

piter, sicut heroibus Agamemnon, potum fundit dimen-  
 sum, ut apud eum conuiuantes inuicem propinarent: Et  
 Cleodemus: Si, ait, palumbes quædam, sicut vos narratis,  
 Ioui ambrosiam adferunt, volatu difficulter ægræq; supera-  
 tis saxis concurrentibus, quas Planctas Homerus vocat: nō  
 censet etiam nectar ipsum paratu difficile ac rarum esse, vt  
 parce de promittum cuiq; deorum tribuatur? Fortasse ita est,  
 respondit Chersias. Sed vellem de re familiari disputationē  
 repeti, vt quod ei decit ab aliquo vestrum explicetur. puto  
 enim omisum esse, quis modus rei faciundæ sit sufficiens. 10  
 Ad hæc Cleobulus: Atqui, inquit, lex mensuram sapientib.  
 præscripsit. inepris fabulam narrabo, quam mater mea fra-  
 tri obiecit. Aiebat enim Lunam à matre petiisse, vt sibi tun-  
 niculam congruentem texeret: ac matrem respondisse, Qui  
 possum vero, cum te iam plenam, mox in cornua attenua- 15  
 tam, rursus dimidio orbe videam? Sic etiam, mi Chersia,  
 homini fatuo & vitioso nulla mensura opum est. necessita-  
 tes enim eius subinde cupiditatibus & fortuitis casibus mu-  
 tantur, suntque similes Aesopi cani, quem is ait hyeme sese  
 contrahentem ob frigus ac conuoluentem cogitare de do- 20  
 mo sibi paranda: æstate autem cum porrectus dormiat, ma-  
 gnum sibi videri, & putare neq; necessarium & magni labo-  
 ris opus esse tantam extruere domum. Nonne enim vides  
 Chersia, eos qui modo humiles, plane in arctum secogunt,  
 vt pote præcis ac Laconice victuri, paulo post nisi omnes 25  
 priuatorum regum que res possideant, existimare se ob ino-  
 piam perituros? Postquam Chersias tacuit, excipiens sermo-  
 nem Cleodemus: Veruntamen, inquit, videmus vos quoq;  
 qui sapientes estis, inæqualibus mensuris, si quis compara-  
 tionem instituat, distributa bona possidere. Tum Cleobu- 30  
 lus: Nimirum, ait, mi homo, lex veluti textor cuiq; congru-  
 am decentemq; & medicorem portionem attribuit. nam tu  
 quoque ratione legis instar in alendis corporibus, victus ra-  
 tione præscribenda, adhibendisq; medicamentis vtens, nō  
 æqualia omnibus, sed conuenientia singulis tribuis. Subie- 35  
 cit Ardalus hæc. numnam ergo etiam sodalem nostrum, So-  
 lonis hospitem Epimenidem lex aliqua reliquis abstinere  
 cibus iubet, ac tantū exiguā partem arcentis famem mate-  
 riæ Alimum Græci vocant: quam ipse sibi componit volu-  
 ptatem, sumere ore, itaq; impransum in cœnatumq; perdu-  
 rare?



rate? Hæc oratio cum omnes conuiuas attentos tacitosq;  
reddidisset, Thales iocans, probe facere Epimenidem di-  
xit, qui molendo coquendoq; cibos molestias sibi ipsi face-  
re nolleret: quod Pittaco vsuueniret. se enim cum in Lesbum  
venisset, audiuisse hospitam sic cantare ad pistrinum: Mole  
pistrinum, mole nani & Pittacus molit, rex magnæ Mity-  
lenæ. Solon autem: miror (inquit) Ardale, legem de victus  
Epimenidis ratione non legisse te in Hesiodi scriptam ver-  
sibus. is enim est, qui primus Epimenidi semina huius ali-  
menti præbuit, dum eum docuit quærere,

*Quanta sit Stilitas in maluis asspidelisq;*

Existimas vero, inquit Periander, tale aliquid Hesiodo in  
mentem venisse, ac nõ potius eũ, vt est assiduus parsimonie  
laudator, ad cibos vilissimos nos, quippe dulcissimi qui  
sint, voluisse adhortari? utilis enim est malua esus, & suavis  
hastula regia. Ista vero famẽ ac sitim arcentia, medicamẽta  
potius esse audio quã cibos, recipientia mel & caseum bar-  
baricum: & multa minime vulgarium seminum. quomodo  
ergo non, quod est apud Hesiodum, in fumo poneretur  
clauus, &

*Mulorumq; opera, atque bouum iam cuncta perirent,*

si tanto opus foret apparatu? Miror autem tuum, Solon,  
hospitem, si nuper cum Deliis magnam lustrationem face-  
ret, non obseruauit ab ipsis in templum inferri monimen-  
ta atque exempla primi alimenti, cum aliis sponte sua na-  
scentibus, maluam & albucum: quorum probabile est He-  
siodum quoque nobis vilitatem ac simplicitatem commen-  
dare. Non hæc modo, inquit Anacharsis, sed & vt ad sani-  
tatem inter præcipua conducens vtraque planta laudatur.  
Recte dicis, ait Cleodemus. Apparet enim Hesiodum medi-  
cum fuisse, qui tam accurate & perite de victus ratione, vini  
temperie, aquæ bonitate, lauactis, mulieribus, coitus tem-  
pore, & infantium sessione disseruerit. Mihi autem videtur  
Aescopos rectius sese Hesiodi discipulum professurus, quam  
Epimenides. ille enim pulcræ suæ & variæ ac multarum lin-  
guarum vsu ornata sapientiæ initium sumsit ex accipitris  
ad lusciniam sermone. Cuperem autem Solonem audire.  
probabile enim est hunc cum Athenis Epimenide multum  
temporis vsus sit familiariter, nosse qua de causa quoque in-  
stituto

*Malua &  
albuca &  
ficus.*



*Nullo nu-  
trimento  
Sic au sum-  
mum sit  
bonum.*

stiruto is talē amplexus sit victus rationē. Quid attinebat, respondit Solon, ex eo causam querere? cum in promptu sit, proximum à summo & maximo bono esse hoc, quam minimum requirere nutrimentum: siquidem recte creditum est summum bonum esse nullo profus alimento indigere. Hoc vero mihi nequaquā videretur, inquit Cleodemus, siquidem licet dicere quod sentio: maxime mensā apposita, quæ alimento sublato tollitur, cum sit diis amicitia hospitiiq; patronis cōsecrata. Sicut autē Thales air igne dēto totius vniuersi existuram confusionem: sic mensa abolita ne cesse videretur esse omnes familiae partes deletum iri. simul enim tollitur ignis Vestalis, focus sacer, crateres, conuiuia, hospitia, quæ prima sunt & humanissima hominum inter se commercia. atque adeo tota vitæ ratio peribit, siquidem à negociis aliquod est horum inibus ad oblectationes diuerticulum, quibus victus apparatus & vsurpation plurimum præbet materia. Iam & in agriculturam hoc mali redundabit. qua cessante tellus nobis relinquetur informis, atque inculta, ob vacationem operum repleta sterilis materia, & fluuio- rum eluione inundata. vnaq; peribunt artes omnes atque opificia quibus illa præest, fundamentumq; & materiā suppeditat, ac quæ illa remota nihil sunt. Quin & honor diis nullus porro erit: qui Soli exiguus, Lunæ etiam minor habebitur, vbi ad homines ab iis præter lucem & teporem nihil rediturum sit. Ioui autem pluuio, & Cereri arationis auspici, & Neptuno stirpibus prospero, vbi ara erit, vbi sacrificium? Aut quomodo gratiarum dator Bacchus erit, si nihil eorum quæ largitur ipse requiremus? Quid sacrificabimus, quid libabimus, quas offeremus primitias? Omnia hæc cum summarum subuersione rerum coniuncta sunt. Equidem brutum est omnes & vsquequaq; consecrari voluptates: fugere autem omnes, idq; omnino, voluptates, stuperdi est. Esto enim suas quasdam peculiare & præstantiores animi esse, quibus is fruatur, voluptates. certe nulla est corpori alia, quæ innocentius frui possit, quam ab alimento voluptas. quod omnibus est compertum hominibus. Mensa enim in medio proposita, communicant cœnis. rei venere tenebras prætexunt densas. quia huius voluptatis communicationem belluinam impudentemq; iudicant perinde, atq; illius abstinentiam. Vbi finē dicendi fecit Cleodemus,

ego



ego succedens in partes eius, Hoc vero, inquam, præteris, quod somnus simul cū nutrimento proscibitur. & somno sublato, somnia nulla sunt, ac vetustissima nobis diuinandi ratio aboletur. Ad hæc vita informis erit nostra, ac quodammodo corpus animo frustra fuerit circumdatum. plurimæ enim eius, & præcipuæ partes ita sunt factæ, vt instrumenta sint nutritionis: lingua videlicet, dentes, stomachus, iecur, quorum nihil vel frustra, vel ad alios comparatum est vltus. Itaq; alimento qui nõ opus habet, ne corpore quidẽ is indiget. quod est nihil aliud, quam ipsum seipso opus non habere: nemo enim nostrũ sine corpore est. Atq; hæc quidem, inquam, ego veluti symbolum ad prætrocinandum ventri dare volui. si Solon, aut alius habet aliquis quod obiciat criminis, paratus sum audire. Maxime vero, inquit Solon, nisi si volumus videri iudicio quam Aegyptij minus valere. ij enim mortuum dissecto ventre Soli ostendunt, deinde in testinis in profluentem abiectis, reliquum cadauer vt iam purgatum procurant. Re vera enim corporis nostri cõtaminatio sunt ista, atq; orcus veluti apud inferos exitiosis quibusdam fluminib. & ventis simul atq; igni confusus, cadaueribusq; oppletus. Viuum quippe nullũ viuo nutritur alimento: sed nos necantes ea, quæ animata sunt atq; nascuntur, & vita non carere eo liquet quod aluntur & aulescunt, iniuste agimus. Enimvero esu carnũ abstinere, quod factitasse Orpheũ illum priscum accepimus, calumnia magis arguta est, quã vera depulsio criminis iniuriarũ à luxu profectatũ. Vnica est ratio vitandi sceleris, & purum se præstandi, si quis se ipso contentus, nihilq; extra se positum desiderans, viuat. Quem vero Deus ita cõparauit, vt citra aliorum damnũ suam salutem tutari non possit, huic ille naturam iniustitię principium destinauit. Nonne igitur, mi Diocles, æquum erat cum iniustitia simul excindere ventrem & stomachum & iecur: quæ membra nullius bonæ rei sensum appetitum, ve ingenerant: coquorum autem instrumentis similia sunt, cultris puta, lebetibus: tum molitoris, caminis, & puteorũ fossioni, panisq; coquendo inferuentibus. Nimirum enim possis animaduertere in multis hominibus animam in corpore esse tanquam in pistrino abditam, eius tantum necessitarum causa hac illac circumcursitantem. Quemadmodũ profecto nos quoq; paulo ante inuicem non vidimus ne-

*Somnia.**Contra esse  
sumeorum  
que vixere  
vunt.*

que



que audiuimus, sed quibus nostrum pronus necessitati nutritionis inferuiebat. nunc mensis remotis liberati, vt vides, fertisque redimiti inter nos differimus, mutuaque fruimur consuetudine, & ocio, soluti necessitate expetendi alimentum. Quod si is status, in quo sumus in presentia, per omnem nostram duraret vitam, nonne in perpetuo degeremus ocio, neque pauperatam metuentes, & diuitiarum ignari? Studium enim ferum superuacanearum statim comitatur necessariorum appetitionem. Iam quod alimentum debere esse putat Cleodemus, vt mensæ sint, & crateres, possitque Cereri 10 & Proserpinae sacrificari: alius eodem iure dixerit bella debere esse & pugnas: vt muros, naualia, armamentariaque habeamus, & centum hostibus occisis Hecatomphonia immolemus, quam ferunt apud Messenios legem valere. alius etiam sanitatem indigne ferat. scilicet inique fuerit compa- 15 ratum, si nemine agrotante lecti mollis nullus sit vsus, nullus culcitrae, neque Aesculapio sacrificemus, neque diis aurruncatoribus, & medicina cum instrumentis medicamentisque suis ingloria & abiecta negligetur. quid enim hæc ab illo differunt? certe enim cibus vt remedium famis sumi- 20 tur: & curare seipsum dicuntur, qui victus ratione vtuntur certa: quod non voluptatem aut iucunditatem aliquam consistunt, sed naturæ necessitati obsequantur. Etenim molestias quam voluptates plures enumerare licet à cibo ortas. immo autem voluptati in corpore & locus exiguus, & 25 temporis parum est: cibi apparandi occupatio & difficultas quantis nos impleat turpitudinibus & doloribus quid attinet dicere. Equidem Homerum arbitror eo respexisse, cum Deos immortales esse eo argumento demonstraret, quod alimento nullo vterentur. 30

*Cibi incō-  
moda.*

*Iliad. e.  
341.*

*Nam neque edunt Cereris, neque Bacchi munera potant:  
Hinc immortales, & casti sanguine habentur,*  
innuit enim non viuendi modo, sed & moriendi viaticum esse nutrimentum. Hinc enim morbi corporibus adhærescunt, quibus repletio sapius quam inedia causam præbet: 35 ac plerumque maioris est laboris ingestum consumere & dissipare alimentum, quam comparare. Sed perinde ac si Danaides quærerent anxie qualem acturæ vitam forent, & quid rei gesturæ, si dolij sui tractatione liberarentur: ita nos percunctamur, si contingeret nobis finem facere tam varia

terra



terra matique conquirendi & congerendi in carnem nostram inexplebilem, quidnam essemus acturi. quia ob imperitiam rerum pulcrarum vitam necessitatibus in seruitutem amamus. Quemadmodum igitur qui seruiunt, libertatē  
 5 consecuti pro sese ac propter se ipsos ea faciunt, quæ olim dominorum obeuntes ministeria fecerant: sic anima nunc quidem multis occupata est laboribus in alendo corpore: sed eo ministerio ubi fuerit exonerata, seipsam nimirum libertate potitam alet, viuetque in sese & in veritatem intu-  
 10 ens, nemine alio abripiente aut abducere. Hæc, Nicarche, de alimento fuerunt disputata. Nondum finem dicendi fecerat Solon, cum intro venit Gorgias Periantri frater, à Tēnaro reuersus, quo missus fuerat vt oraculis quibusdam ita monentibus rem sacram faceret, ac pompam duceret. Eum  
 15 à nobis salutatum, Periander amplexus atq; osculatus, iuxta se collocauit. Ibi fratri Gorgias seorsim quædam renunciauit, ita audienti, vt satis appareret varie ea narratione affici eum, modo dolentis, mox indignantis, sæpe diffidentis, mox admirantis speciem præbentem. Tandem ridens  
 20 nos ita affatur: Cupio, inquit, iam nunc vobis narrare quid nunciij acceperim: sed vix audeo, qui meminero Thaletem aliquando dixisse, efferenda ea esse quæ sunt probabilia, reticenda incredibilia, Sub hæc Bias: At qui, ait, Thaletis hoc quoque sapienter dictum est, hostibus etiam ubi credibilia  
 25 narrat fidem derogandam, amicis etiam quæ fidem excedunt credenda esse. inimicos autem ego censeo malos & fauos, amicos ab eo dici bonos & prudentes. Proinde, inquit Periander, coram vniuersis Gorgia rem expone, aut potius ad nouos isthos dithyrambos illis, quæ affers, recitandis  
 30 deduc. Tum Gorgias huiusmodi narrationē habuit. Cum sacrificium tribus diebus exactis confecissemus, vltimaque solenniter vniuersi noctem in somnem ad litus cum chorea & ioco deduceremus, Luna mare illustrante, nulloque spirante vento, sed malacia ac tranquillitate obtinente, emi-  
 35 nus horror quidam maris conspectus est versus promontorium vergens, in citatione aquæ spumam strepitumque edente magnum, vt vniuersi non sine admiratione ad locum quo appellebat adcurrerimus. Priusquam vero possemus conicere quid esset quod aduehebatur (celeritate enim impediabamur) delphines conspecti sunt, alij confertim in

*Arionis fabula.*



orbem circumnantes , alij ad litus qua læuiffimum erat  
 præcuntes, alij subsequentes à tergo & agmen claudentes.  
 in medio autem super mare extabat moles quædam vehen-  
 tis corporis, ignota nobis & indiscreta: donec delphini co-  
 euntes & ad litus vna applicantes in terram expoluerunt  
 hominem viuentem ac mouentem sese. inde ipsi rursus ad  
 promontorium reuersi maiore quam ante saltatione lasciu-  
 runt, præ volupate (vt apparebat) quadam exultim lasciu-  
 uientes. Ibi vero pleriq; de nostris consternati à mari pro-  
 fugerunt: ego & mecum pauci sumus ausi accedere. Inueni-  
 mus ergo & agnouimus Arionem citharædum, qui & no-  
 mē suum edebat ipse, & amictu innoscebat: gerebat enim  
 vestem qua in certaminibus musicis solebat vti. Hunc nos  
 in tabernaculum detulimus. neque quicquam illi erat mali,  
 nisi quod à celeritate & impetu vectionis defatigatus  
 non nihil languerat. Audiuimus autem ex eo narrationem  
 omnibus incredibilem, præterquā nobis, qui finē & exitum  
 rei spectauimus. Aiebat enim se, cum iam pridem ex Italia  
 discedere in animum induxisset, literis Periadri vt id matu-  
 raret permotum, Corinthiam nauim onerariam forte tum  
 oblatam conscendisse. cumq; vento ueherentur satis com-  
 modo, animaduertisse se, nautas ipsi necem machinari, idq;  
 se deinde etiā ex rectore nauis cognouisse, clanculum mo-  
 nente statuisse nautas consilium iuū noctu exequi. Tum  
 se omni destitutum auxilio, & in extremis hærentem dissi-  
 cultatib. diuino quodam animi instinctu impulsū vt cor-  
 pus exornaret, ac vestem qua in certaminib. obeundis fuisset  
 vsus pro funebri sumeret, & sub finem vitæ caneret, neq;  
 hac in parte oloribus palmam concederet. Sic ergo orna-  
 tum se dixisse nautis, venisse sibi in mentem vt Pythicam cā-  
 nentem pro sua nauisque & comitum salute cantaret: ad-  
 stitisseque in puppi ad fores, inuocationeq; marinorum nu-  
 minum quadam præmissa, inde ad fides cecinisse Pythiam  
 odam. Nondum plane mediū cantilenæ cum absoluisset,  
 occubuisse Solem, conspectamq; fuisse Pelponnesum. Nau-  
 tis vero non iā vterius noctem præstolantib., sed ad cædem  
 se conuertentibus, cum nudari gladios, & gubernatorem  
 caput velare iam videret, sese quam potuisset longissime à  
 nauī in altum proiecisse. Verum priusquam totum corpus  
 subideret, delphinis subeuntibus elatum se fuisse, plenum  
 initio



initio anxietatis & ignorationis atque perturbationis. cum  
 autem leniter veheretur, multosq; circa se congregari del-  
 phinos cerneret placide, onerique pernicies veluti necessa-  
 rio & publico subire, simulque naus procul à tergo relicta  
 5 velocitatem vectionis argueret: tum vero aiebat sibi ne-  
 que mortis tantum metum, neque vitæ cupiditatem tantâ  
 ad animum accidisse, quantum sibi studium incessisset, vt  
 seruatus & diis charus videretur, & firmam de iis opinionem  
 conciperet. Simulque se cum cœlum intueretur stellis fre-  
 10 quentissimis nitens, lunamque fulgidam & puram exoti-  
 entem, stante mari tranquillo vndiquaq; & sine fluctibus  
 cursum veluti semitam scissam præbente: cogitasse se cum  
 animo suo, non vnum duntaxat iustitiæ esse oculum, sed  
 his omnibus circumcirca Deum obseruare quæ terra ma-  
 15 ritique agantur. His cogitationibus corporis partes graua-  
 tas iam & lassas fuisse recreatas. Tandem cum ad promon-  
 torium appulissent delphini, quod sublime erat ac prærup-  
 tum, optime eius asperitatem eos cauisse ac circumflexis-  
 se, pone adnatantes: donec in terra ipsum, velut nauim in-  
 20 portum tutum, deposuissent. vt plane senserit, Dei procura-  
 tione sic vectum sese fuisse. Hæc cum Arion exposuisset: e-  
 go, addebat Gorgias, percunctatus sum, vbi putaret nauim  
 istam appulsuram. respondit, omnino ad Corinthum, sed  
 multo post venturam. nam se vesperi elapsam è nauì exi-  
 25 stimare vectum esse non minus 10 stadiis spaciū: & sta-  
 tim malaciam fuisse obortam. Dicebat præterea Gorgias se  
 & naucleri nomine, & gubernatoris, & insigni nauis cogni-  
 to, emisisse naues, & milites qui loca nauibus appellendis  
 idonea obseruarent, dissimulato quod secum ferret Ario-  
 30 nem, ne soates fuga elabi re cognita possent. omnino au-  
 tem diuino casu fortunæ hanc rem respondere: simul enim  
 & se huc aduenisse, & significatum sibi esse nauim in eorum  
 quos miserat militum potestate vna cum negociatorib. &  
 nautis venisse. Sub hæc Periander Gorgiam statim surgere  
 35 iussit, deprehensosque istos in carcerem compingere, vbi  
 nemo accedere, aut de seruato Arione eos certiores redde-  
 re possit. Tum Aesopus: Vos vero, inquit, graculos meos  
 & coruos diferentes subfannate porro, cum delphini hoc  
 modo iuuentur. Ego autem: aliud, inquam, Aesope  
 est quod dicimus \* hæc enim oratio, cui nos fidem adhi-  
 \* bemus,



*De Hesi-  
di morte  
narratio.*

bemus, amplius mille iam annos duravit, ab Inſu & Atha-  
manthis vique temporibus. Solon vero hunc excipiens ser-  
monem: Hæc quidem inquit, Diocles, ad Deos propius per-  
tineat, sunt que nobis superiora. humanū est, & ad nos arti-  
net, quod Hesiodo euenit. puto enim te narrari audiuſſe. 5  
Non sane, inquam. At qui, ait, auditu digna res est. Milesius  
quidam, cū quo hospitij ac conuictus vsus Hesiodo inter-  
cedebat, apud Locros hospitis filia pudicitiam clam immi-  
nuerat: re comperta creditum est Hesiodum ab initio con-  
fciū flagitij fuisse, in eoque occultando operam nauasse. 10  
cum quidem hic insons, nulla sua culpa in iram hominum  
per calumniam & sinistras incidisset suspiciones. Nihilomi-  
nus eum puellæ fratres apud Locrenſe Nemeum sive ne-  
mus ex insidijs trucidauerunt, vnaq; aſſeclam ipsius Troi-  
lum. Cæterum cadaueribus in mare deuolutis, Troili cada- 15  
uer foras in Daphnum fluuium delatum, apud scopulum  
aquis ambitum & non procul à mari diffitum detentū fuit,  
qui scopulus etiamnum Troilus dicitur. Hesiodi autē cada-  
uer, vbi primum à terra excidit, excipiens delphinorū grex  
ad Rium & Molycriam deportauit. Fortetur Locri solen- 20  
nem conuentum agebant apud Rium, ac factis operaban-  
tur publicis, quæ etiamnum splendide isto in loco peragū-  
tur. Cum vero cadauer videretur adferri, mirati (vt par erat)  
ad litus adcurrerunt, cumq; cadauer recens interfecti He-  
siodi agnoscerent, gloria hominis permoti nihil antiquius 25  
habuerunt quam cædis autores quærere. ac cito iis successit  
res, inuentosq; percussores viuos in mare præcipitauerunt,  
& eorum domum diruerunt. Ipse Hesiodus apud Nemeium  
sepultus est, & sepulcrum eius pleriq; peregrini ignotā. oc-  
cultatur enim propter OrchoMENIOS, qui id quærent, & re- 30  
liquias Hesiodi monitu oraculi cuiusdam auferre, & apud  
se humare cupiunt. Itaq; si delphini ita sunt aduersus mor-  
tuos humani atq; familiariter affecti, multo probabilius est  
viuis eos opem ferre maxime vbi fistulis aut cantu inuitan-  
tur. Hoc enim iam omnibus nobis compertum est, musica 35  
animalia ista delectari, eamque aſſectari, & iuxta vechentes  
in tranquillo cum cantu ac tibia adnatate. Natatione et-  
iam puerorum gaudent, certantq; cum nantibus. Itaq; le-  
ge non scripta cautum iis est de securitate. nemo enim eos  
piscatur aut lædit: nisi si quando in rečia ingressi piscatio-  
ni nocent.

*Delphini  
hominum  
& musica  
amantes.*



ni nocent. tunc enim puerorum instar delinquentium verberibus castigantur. Ac memini me de Lesbiis audire, puellam quandam è mari à delphino fuisse seruatum. Vere, inquit Pittacus, hoc narratum tibi fuit: est enim res nota, & multorum memoria confirmatur. Lesbum condentibus oraculum mandauerat, vt cum nauigando ad stationem appulissent nomine Mesogeium, quasi Mediterraneum dicas, ibi tum Neptuno taurum, Amphitritæ ac Nereidibus viuam virginem demitterent in mare. Septem erant duces ac reges, octauus Echelaus princeps deducendæ coloniæ oraculo cõstitutus, isq; etiamnum cœlebs. Cum reliqui septem sorte de innuptis liberis cõparassent, ea sorori Sminthei obtigit. hanc igitur vestib. & auro exornarunt, erantq; cum loco appropinquassent conceptis votis in mare abiecturi. Erat inter eos qui vna nauigabant adolescēs quidam indolis nequaquam malæ, cuius nomen Enalus perhibetur. is cum puellæ istius amore teneretur, & studio eius seruandæ ineffabili duceretur, sub ipsum temporis articulum impetu dato eam complexus, vna se in mare demisit. Ac statim quidem fama certitudinis expers, sed cui tamen multi de exercitu fidem adhiberent, didita fuit in columnes eos fuisse in terram delatos. Postea vero temporis aiunt ipsum in Lesbo fuisse visum Enalum, ac narraße, à delphinis se è mari in continentem citra periculum fuisse euectos. Possent alia his diuiniore, ac multorum animos quâ percellentia quâ demulcentia commemorare. sed difficile est omnibus fidem facere. Cum enim fluctus ingens circa insulam attolleretur, hominesque ad mare accedere non auderent, solū ferunt Enalum accessisse, & secutam eum esse polypodum multitudinem ad templum vsque Neptuni, maximo lapidem gestante, quem Enalus dedicauerit. isque lapis à nobis Ei dicitur. In vniuersum autem vt verbo dicam, qui inter id quod fieri nefas est, & id quod inusitatum est distinguere possit, intelligatq; aliud esse à vero, aliud ab opinione hominum alienum, is è Chilo tuum illud Ne quid nimis seruās, modum in habenda derogandaque fide tenebit. Post hæc Anacharsis ita locutus est. Cum recte senserit Thales in omnibus præcipuis mundi partibus ac maximis animam esse, admiratione dignum non est quod pulcerrima quæque diuino nutu efficiuntur. Corpus enim animæ, anima instrumentum

*Puella à delphino è mari seruata.*

*Anima corpus, animam deus mouet.*



mentū est Dei. & sicut corpus à sese multos habet, plurimos  
 vero & optimos motus ab anima: sic rursus anima alia suo  
 pre instinctu agit, in aliis deo sese vrenti præbet dirigendā  
 atq; eius arbitrio mouendam, cum sit omnium instrumen-  
 torum pulcherrimum. Inique enim fuerit comparatum, si i-  
 gnis instrumentum sit, & ventus, & aqua, & nubes, & plu-  
 uia, quibus multa Deus seruat & alit, multa perdit atq; abo-  
 let: animalibus eum ad nullum prorsus suum opus vti. cum  
 rationi magis consentaneum sit animalia suspensa à vi di-  
 uina, ei subseruire, motusque eius subsequi, quam Scythi 10  
 arcus, Græcis lyras & tibias obemperare. Deinceps Chersia  
 poeta cum aliorum mentionem intulit mirabiliter ser-  
 uatorum, tum Cypseli qui pater Periandri fuit. eum enim,  
 cum missi occisum puerum admodum oblatum declina-  
 sent, pœnitentiaq; ducti rursus quærerent, inuentum non 15  
 fuisse, cum esset à matre in cypselam, id est cumeram, abdi-  
 tus. itaq; ædem etiam Cypselum Delphis dedicasse, quod  
 tunc temporis à Deo se inhibitu fuisse crederet ne vagiret,  
 itaque lateret inquisitores. Tum Pittacus Periandrum al-  
 loquens: Bene, inquit, à Chersia factum est, qui ædis istius 20  
 mentionem proposuit. Saepenumero enim ex te volui quæ-  
 rere causam ranarum istarum, cur tam multæ ad fundum  
 palmæ torno insculptæ sint, ac qua ratione Deum dedi-  
 cantemye attingant. Hic cum Periander Chersiam inter-  
 rogandum diceret, cui notum id esset, vt pote qui in dedi- 25  
 catione adfuisset Cypselo, subridens Chersias: Non, inquit,  
 prius ego id explicauero, quam ex his intelligam, quid sibi  
 velit eorum isthuc Ne quid nimis, & Nosce te ipsum, & (que  
 vox multos à nuptiis, alios à fide interponenda deterruit,  
 nonnullos plane mutos fecit) Sponde, præsto noxa est. 30  
 Quid vero, inquit Pittacus, necesse est tibi nos ea enarrare,  
 cum Aesopi orationem de singulis istis compositam laudes?  
 Et Aesopus: Chersias (ait) quoties mecum iocatur, iocatur  
 autem serio, Homerum istorum dictorum autorem facit.  
 Hectorem enim sui ipsius noticiam habuisse dicit, qui 35  
 alios inuadens,

*Iliad. λ.*

*542.*

*Iliad. κ,*

*249.*

*Maiores tamen Aiaci concurrere causs.*

& Vlysses laudatorem huius sententiæ, Ne quid nimis, sic  
 præcipere Diomedis:

*Tydidè, nimum neque me lauda, neq; culpa.*

Sponso.



Sponſionem autem alij putant eum traducere vt rem periculofam & futilem, his verbis:

*Pro pranis ſpondere equidem eſt res plena pericli.*

*Odysſ. 9.*

Cherſias autē noſter Aten ait propterea fuiſſe à Ioue de cœlo præcipitatum, quod interfuiſſet ſpōſitioni de Herculis naralibus, qua Iupiter circumuentus fuit. His ſubiecit Solon hæc verba: proinde pareamus ſapientiffimo Homero,

*351.*

*Iliad. 7.*

*126.*

*Iam nox inceſſit, nocti nos cedere verum eſt.*

*Iliad. n.*

ergo libemus Muſis, Neptuno, Amphitritæque: eoq; facto, niſi vobis contra videtur, conuiuium diſſoluamus. Hic fuit Nicarche, iſtius conuentus ſinis.

*282.*

PLVTARCHI DE SVPERSTITIONE LIBELLVS.

15

**I**Nſcitia deorum atque ignoratio iam inde ab initio in duos quaſi riuos dimanans, ab vna parte in duris ac refractariis ingeniis tanquam in aſpero ſolo impietatem, quæ nullos putat eſſe deos, ab altera veluti in molli ac tenero ſolo ſuperſtitionem animis lenibus ingenerauit. Eſt quidem omnis falſa opinio, maxime de talibus rebus, pernicioſa: cum vero animi perturbatio adiungitur, pernicioſiſſima exiſtit. Omnis enim animi perturbatio, inſtar morbi eſt cum inflammatione coniuncti. & ſicut luxationes artuum humani corporis accedente vulnere, ita animi errores perturbatione comitante periculoſiores ſunt. Putat aliquis indiuidua corpuscula & inane vniuerſi eſſe principia: falſa eſt opinio, ſed vlcus non gignit, neque palpitationem, neque dolorem lancinantem. Opinatur aliquis diuitias ſummum eſſe bonum: hic error venenatus eſt, animam depaſcitur, abalienatque, dormire non patitur, identidem exſtimulat, de faxis præcipitat, ſtrangulat, libertatem adimit. Sunt ruruſus qui virtutem & vitia corpori adſignant: fœdus proſpecto hic error, non tamen dignus deploratione & lamentis. Aliæ quædam ſententiæ ſunt ac opiniones, vt:

*Error cū animi perturbatione exiſtiſus.*

*O miſera Virtus, Verba tu cum ſis, ego*

*Tanquam rei nauauis operam tibi, --- omiſſa diuitias largiente iniuſtitia, & omnis voluptatis ferace intemperantia. huiuſmodi opiniones cum deplorandæ ſunt, tum indi-*